



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCLIX. Der Bischof Johann von Meißen schreibt an den Bischof von Brandenburg wegen der Wiederbesetzung des Bisthumes Naumburg, am 16. Mai 1358.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

tibus fideliter defendetis. Datum Berlyn, anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, feria quarta proxima post dominicam: Judica me, deus.

Nach dem Originale.

CCLIX. Der Bischof Johann von Meissen schreibt an den Bischof von Brandenburg wegen der Wiederbesetzung des Bisthumes Naumburg, am 16. Mai 1358.

Reverendo in Christo patri ac domino, domino Brandenburgensi episcopo, suo in infra scripto negotio college, Johannes, dei gratia episcopus Meissenensis salutem et sinceram in domino karitatem ac mandatis apostolicis firmiter obedire. Noveritis, nos litteras reverendi patris, domini Gwydonis Portuensis et sancte Rufine episcopi, sacro sancte Romane ecclesie cardinalis clausas et ipsius sigillo sigillatas recepisse ac ipsas, de speciali commissione reverendi patris domini Ludouici electi Halberstadenensis aperuisse, in quibus interclusi erant articuli, quorum copiam vobis etiam una cum presentibus transmittimus, quarum litterarum tenor per omnia erat talis: Gwydo, miseratione divina Portuensis et sancte Rufine episcopus, sacro sancte Romane ecclesie cardinalis, venerabilibus patribus, dominis Meissenensi et Brandenburgensi episcopis ac electo Halberstadenensi salutem in domino et mandatis nostris, ymo verius apostolicis firmiter obedire. Dudum vacante ecclesia Nuemburgensi per translationem venerabilis patris domini Johannis, nunc electi ejusdem ecclesie ad ecclesiam Luthemulensem, expositum fuit sanctissimo in Christo patri ac domino nostro, domino Innocentio, divina providentia pape VI^o, quod religiosus vir scilicet Burchardus de comitibus de Mansfeld ordinis fratrum minorum esset habilis et ydoneus ad predictam ecclesiam in spiritualibus et temporalibus gubernandam circumspectione, scientia et potentia amicorum, ipseque ad eandem ecclesiam nominatus fuit per nonnullos magne auctoritatis viros ac significatus et assumptus, quod erat in spiritualibus providus et in temporalibus circumspectus, vite laudabilis et conversationis honeste ac talis, quod, si eidem prouideretur, sperabatur, verisimiliter quod ipsi ecclesie preesset salubriter et prodesset. Ante provisionem vero factam dicto venerabili patri de dicta ecclesia, et post translationem ejusdem ad ecclesiam Luthemulensem eidem domino nostro pape fuit pluries et frequenter pro parte Rudolphi in eadem ecclesia Nuemburgensi intrusi supplicatum humiliter, quod, cum tempore electionis de ipso ad dictam ecclesiam Nuemburg, facte munerumque confirmationis et consecrationis assecutorum perenni, tam ipse, quam eligentes, confirmans et consecrans, fuerint cujuscunque reservationis ipsam ecclesiam concernentis sancte sedis apostolice ignari, et eandem factam de dicta ecclesia ignoraverint omnino, ipseque Rudolphus, ut assereretur, paratus esset, sancte sedi apostolice obedire ac in ipsius obedientia vellet vivere et mori et sponte suscipere penitentiam pro commissis delictis, dominus noster dignaretur eidem de prelibata ecclesia misericorditer providere, maxime cum per munus consecrationis per eundem adeptum reputata fuerint vacare beneficia, que antea obtinebat aliisque collata et per ipsos possessores assecuta et sic cum ad eandem regressum habere non posset omni beneficio ecclesiastico nunc in antiquitate sua nudus miserabiliter remaneret. Insuper pro parte decani et capituli ecclesie Nuemburgensis supplicatum extitit, petatum et requisitum, quod in casu, in quo prefatus dominus noster papa de hujusmodi ecclesia prefato intruso providere non vellet, placeret sanctitati sue dare licentiam et auctoritatem et eidem pro persona aliqua sufficienti et ydonea assumenda ad eandem ecclesiam supplicandi; tandem prefatus dominus noster, hujusmodi supplicationibus auditis, suc-

cessive et diversis vicibus nobis commisit oraculo vive vocis, ut super ydoneitate sufficienti et potencia dicti fratris Burchardi, nominati superius, propositique pro parte dicti intrusi ac statu, moribus et conditionibus ejusdem nos informare curarem ac recepta et adinventata sue sanctitati referre. Post hoc certis articulis nobis traditis et exhibitis tam pro parte dicti fratris Burchardi quam pro parte decani et capituli sepedictorum aliquas informationes recepimus super contentis in eisdem articulis et instrumenta seu litteras — et demum statum negotii dicto domino nostro duximus referendum. Qua relatione audita sepedictus dominus noster volens in hujusmodi negotio cum tanta discretione et maturitate procedere, quod per inquisitionem solertem fraudibus, subrefugiis, versutiis et contraventionibus quorumcunque malignantium obuietur de talique persona eidem ecclesie jam in spiritualibus et temporalibus aliquantulum collapsa valeat provideri, per cujus considerationis optime suffragia alienata repeti, jura illibata servari, subditorum extirpari vicia, virtutes inferi, excessus corrigi moreque valeant laudabiliter reformari, nobis iterato commisit, ut super omnibus superscriptis aliisque universis et singulis negotium hujusmodi tangentibus in partibus, cum ibi possit super statu ecclesie, conditionibus et sufficientia personarum obtineri et haberi verior certitudo, veritatem inquiri per nostras litteras mandarem ac sibi referremus, quidquid foret nobis exinde relatum, rescriptum. Hinc est, quod, cum de vestre fidelitatis circumspectione et industria geramus in domino fiduciam plenioram, vos requirimus ex parte dicti domini nostri summi pontificis nichilominus injungentes et districte precipiendo mandantes sub obtestatione divini iudicii obtentuque maledictionis eterne ac vestras et vestrum quemlibet conscientias onerando, quatenus super premissis omnibus et singulis juxta et secundum seriem et tenorem articulorum per predictos datorum, quos vobis sigillo nostro transmittimus interclusos, et alias, si et prout vestris circumspectionibus videbitur faciendum omnibusque aliis provisionem salubrem ipsius ecclesie concernentibus, quoquomodo vos vel duo aut unum vestrum cum testibus fide dignis honestis et ydoneis negotiique plenam notitiam habentibus informetis ad plenum et insuper cum decano et capitulo supra dictis, quam personam omnibus consideratis ac statu ipsius ecclesie plenius recensito in iudicio ac sub periculo animarum eorundem utiliorem seu saltem utilem, sufficientem et ydoneam reputarent ad eandem ecclesiam in spiritualibus et temporalibus gubernandam salubriter et regendam, nec non de causis rationibus et motivis testium producendorum specificis et distincte decanice et canonicorum ejusdem ecclesie predictorum et sic secreta et sigillatim, quod ut plenius subordinationis periculum valeat evitari, notitiam non habeant aliquantulum informationes vero inde per vos faciendas nobis remittentes quantocius possitis sub signis publicis atque vestris munitis sigillis fideliter interclusas. In quorum omnium testimonium etc. Datum Avinionis in domo habitacionis nostre die decima mensis Martii anno a nativitate domini M^o.CCC^{mo}.LVIII^o. indictione X. etc. Innocentii divina providentia pape VI. anno VI. Nos igitur eisdem litteris ea, qua decuit, reverentia receptis volentes mandatis apostolicis ac supradicti reverendi patris, ut tenemur, obedire reverenter, tenore presentium vos auctoritate supradicta hortamur et monemus ac nichilominus distincte precipiendo mandamus, quatenus infra unius mensis spacium a notificatione presentium continue computandum per instrumenta publica seu vestras patentes litteras nos certificare curetis, an in predicto informationis seu inquisitionis negotio nobiscum volueritis et poteritis convenire et concordare studeatis, alioquin in eodem negotio solus procedemus secundum traditam nobis formam. Datum in castro nostro episcopali Mugelen Miffa. dyocesis anno domini Millesimo threcentesimo quinquagesimo octavo, sexta decima die mensis Maji, nostro majori sub sigillo.

Nach dem zum Theil unterzeichneten Originale.